



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

3. Quòd non solùm sanos, sed etiam infirmos & senes parentes honorare debemus, & illis benefacere, vt simus capaces promissionis Dei.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

matri lac in vberibus, & patri diuitias, vnde nos educare & vestire possint. Videmus enim, quàm difficile se habeant pueri in illo statu, quo seipfos iuuare non possunt: & nisi Deus per parentes eos conseruaret, omnes in pueritia perirent. Ideò Tobias senior docuit filium, vt memor esset matris, & cogitaret quanta pericula passa esset propter eum in vtero., Tob 4. Tertium bonum opus est, quòd Deus dat nobis Christianos parentes, qui nos faciunt baptizari & institui in fide & religione. Nam si parentes nostri non forent Christiani, non baptizaremur, donec adulti ipsi peteremus baptismum. Si ergò haberemus infideles parentes & moreremur sine fide & baptismo, omnes damnaremur ex sententia CHRISTI, Ioannis. 3. 3. Qui non credit, iam iudicatus est. magnū est ergò beneficium Dei, Quod nos per parētes adducit in Christianismum. Rursus, Postquàm iam aliquo modo creuimus, & annos habemus vt doceamur in verbo Dei, tunc docet nos Deus meliorem & necessariam doctrinam per parentes, nempe decem præcepta Domini, orationem Dominicam, Symbolum Apostolorum, catechismum & cæt. quod licet alij nos doceant, vt potè in scholis aut in Ecclesia, tamen hoc factum est per commissionem Parentum & stipendium. Nam & hoc illis etiam præcepit Deus, Ephesio. sexto Colof. 3 scilicet vt in doctrina & correctione Domini proles suas educarent. Docent præterea nos parentes honestos mores, & artes siue liberales siue mechanicans: vnde inter homines viuere possumus, & nos per illas sustentemus. Habemus denique ab illis portionem hæreditariam, & bona mobilia vel immobilia, quæ omnia Deus nobis per illorum laborem & pietatem distribuit. Ideò pessimi sunt filij, qui non agnoscunt hæc beneficia in parentibus, & qui contemnant aut vili pendunt suos parentes. Si quis diligit instrumentum,, per quod multa elaborauit, cur non



magis parentes? Ideò dicit Salomon prouerb. 6. Conserua præcepta patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ: liga eam in corde tuo, & cum ambulaueris, gradientur tecum: cùm dormieris, custodiant te: & euigilans, loquere cum eis.

3. Tertiò, hoc præceptum ligat donec uiuant parentes: ideò quanuis parentes sunt infirmi aut senes vel defectuosi, aut qualescunq; fuerint, tamen Deus per illos dedit filijs iam dicta beneficia: atque ideò non minus honorandi sunt, immò colendi & diligendi propter Dei mandatum donec in terra uixerint. Deus quoq; verax est in sua promissione erga eos qui honorant parentes, ut uiuant uita longiore. Tota scriptura testatur infelicem futurum omnium illorum successum, qui parentes contempnunt, & illis contrariantur. Filius Dauidis Absalon cùm patrem de regno expellere laboraret, statim pessimè moritur suo spèdio, 2. Reg. 15. & 18. Sic & illis contingit, qui postquam parentes ad paupertatem redegerunt, postea nullam eis gratitudinem aut pietatem exhibent. Sic duo filij Sennacherib regis Assyriorum, occiderunt patrem; sed tamen neuter eorum regnauit post eum, 4. Reg. 19. Sic contigit filijs qui insidiantur regno & substantiæ parentis. filij Heli non audièrunt patrem suum ipsos corrigentem, 1. Reg. 1. ideò diuinam ultionem experti sunt. Econtra qui honorant parentes, habent felicem successum. Dauid fugiens à facie Saul, & in magna angustia existens, habuit tamen curam parentum suorum, quos commendauit diligenter regi Moab, 1. Reg. 22. & sic tandem liberabatur ab omni periculo. Sem & Iaphet duo filij Noè, benedictionem patris meruerunt, quia patri nudato obsequium præbuerunt: Cham verò in filio suo maledictus fuit, quia patrem deriserat, Genes. 9. Fuit & Christus suis naturalibus parentibus subditus & obediens, Lucæ secundo: in cruce quoque honorans matrem,

matrem, eam commendauit Ioanni, c. 19. In omnibus igitur debent obedientiam filij parentibus præterquam peccato, vt si te arcere vellent à fide & veritate, & ad impietatem cogere: sic non obedit Petrus Pharifæis Act. 5. nec obstetrices Regi Aegypti. Exod. 1. Nec Balaam propheta regi Balaac, Num. 22. Sic nec Marathias Antiocho, vt relinqueret legem & iustitiam Dei, 1. Machab. 2.

QUINTUM DEI PRÆ-  
ceptum, Non occides,

Exod. 20.

CAPVT XII.

ARGVMENTA.

1. *Quare non debemus occidere, quia Deus præcepit, & vindicare vult homicidium.*
2. *Quibus incumbit vindicare malum.*
3. *Quando irasci fit sine peccato, & quando cum peccato.*

**H**OC præceptum est obseruandum ex fide, sicut omnia præcepta fieri debent: quod ita contingit, quando prius fide statuamus nos propter Christum placere Deo, & postea obediemus Deo in his præceptis, timemus Deum, nec volumus eum offendere: ideo abstinemus ab iniusta violentia, resistimus iracundiæ, reprimimus odium: & quia hæc exercitia non sunt facilia, ideo pij adiuuatur à Spiritu sancto, Romanor. 8. ipse spiritus adiuuat infirmitatem nostram, &c. Et sic obseruantia omnium præceptorum fit cultus Dei propter finem, quia hoc sine præstatur vt Deo obediamus in his officijs. Prohibet ergò Deus triplex homicidium: Primum cordis, hoc fit ira & inuidia cordis: nam sicut ignis accensus non quiescit,

Homicidij  
triplicis  
primum.